

in primo instanti, sicut dicebat secunda solutio, eo quod illa computatur cum substantia actus, utpote productio illius quoad substantiam, et sic bonitas illius durationis est bonitas quoad substantiam. Computatur ergo circumstantia accidentalis immediate post primum instans. Sed tamen addit ista sententia, quod cum ista continuatio incipiat immediate post primum instans, non fit per instantia, sed per partes proportionales, quæ licet in potentia, et proportionaliter sint infinita, actu tamen finita sunt, et certæ, ac determinatæ, si quidem continentur intra partes finitas, ac determinatas. Unde bonitas inde resultans finita, et determinata est, solumque est infinita in potentia, et proportionaliter, sicut ipsæ partes durationis.

XXXVII. Hæc solutio habet duplicem difficultatem. Prima, quia actus habet aliquam bonitatem substantialem pro illo primo instanti durationis, ut fatetur hæc solutio, et constat quia illa duratio, et existentia pro primo instanti conducit ad bonitatem, vel malitiam actus in quantum duratio instantanea est, et non est solum bonitas specifica, quia hæc abstrahit a duratione, et est eadem in reliquis instantibus, et partibus temporis, ergo pertinet ad bonitatem accidentalem. Si autem in primo instanti habet illam bonitatem substantialem pertinentem ad exercitium, et non ad solam speciem actus, cur in sequentibus instantibus etiam si continuativa sint, non habebit similem bonitatem, aut malitiam non quidem pertinentem ad speciem, sed ad exercitium actus? Secunda difficultas est illa supra posita, quæ non evacuatur, quia si in quolibet instanti illius horæ, vel qualibet parte proportionali interrumpatur actus, ita quod aliud de novo produceretur

cum simili advertentia et libertate, esset distincta bonitas, aut malitia, utpote distinctus actus, sed continuatio per omnes illas partes proportionales, vel instantia æquivalet, vel etiam superat durationem interruptam, et plures actus in eadem duratione, ergo majus augmentum correspondebit illi continuationi, quam omnibus actibus divisim, et distinctim si darentur.

XXXVIII. Quare dicendum est, quod tam primo instanti in quo actus producitur correspondet bonitas aut malitia, quam reliquis instantibus, et partibus durationis quæ continuatur. Sed tamen ista continuatio nunquam fit per instantia infinita in actu, nec per partes infinitas in actu, sed per partes, et instantia infinita in potentia, et finita in actu. Dicuntur instantia infinita in potentia, quia nulla est tam minima pars designabilis, in qua non possit determinari et designari aliquod instans, et cum possint in infinitum dividi partes, possunt etiam in infinitum designari instantia. Actu tamen et de facto nec sunt partes infinitæ designatæ sed designabiles divisim, nec sunt instantia designata infinita, sed omnes illæ partes et illa instantia sub terminis finitis comprehenduntur, quia constituunt durationem finitam, sicut partes permanentes quantitatem finitam. Et ideo continuatio actus per instantia et partes in potentia infinitas, actu tamen, et in facto esse, et designare finitas, constituit bonitatem aut malitiam actus finitam, et solum in potentia infinitam, id est, designabilem in infinitum per diversa instantia, sicut ipsa etiam instantia temporis, et partes ejus proportionales infinitæ sunt in potentia, et illis correspondet duratio actus.

XXXIX. Et ad instantiam quæ fit de interruptione actuum, quia si in-

terrumperetur ille actus, et divideretur in quolibet instanti, bonitas in quolibet instanti, seu actu resultans erit aliqua determinata bonitas; ergo multo magis si continuatur, quia hæc continuatio æquivalet interruptioni per totam horam, et omnibus actibus qui in illa hora divisim possint fieri.

XL. Respondetur quod si interruptio posset fieri in omnibus instantibus horæ collective, et non solum divisive, sine dubio ponerentur infinita instantia in actu, et similiter si omnes partes collective sumptæ solverentur in omnem minimam partem, restarent partes actu infinitæ. Sed hoc est impossibile, quia finitum non potest infinitum actu reddere, neque continere quantumcumque dividatur, quia infinitum non potest pertransiri; imo si unico indivisibili actu solverentur omnes partes, vel illæ quæ manerent, essent divisibiles, vel indivisibiles. Si indivisibiles, non essent partes, de ratione enim partis est quod possit dividi, et consequenter neque esset totum quantitativum, quia totum non est sine partibus. Si divisibiles, nondum omnes partes sunt solutæ, quia restant aliquæ, in quas potest fieri divisio. Et similiter si possent fieri actus instantanei pro omnibus instantibus horæ collective sumptis, ita quod in quolibet instanti esset suus actus distinctus, et omnia instantia collective sumpta haberent actum distinctum, revera darentur infiniti actus collective, et categorematice, sicut et infinita instantia. Hoc autem non potest ita fieri, quia non possunt omnia instantia infinita categorematice numerari et designari, ergo neque infiniti actus categorematice et collective produci, si enim quolibet instanti elicitur actus, quodlibet instans designatur, et sic manerent infinita instantia designata si infi-

niti actus collective producerentur. Solum ergo sunt infinita instantia syncategorematice, et in potentia, quia in qualibet parte in infinitum designabili, et divisibili potest signari instans, et in illo produci actus, et cum non sit designabile instans in hac parte, quod non possit in minori ac minori designari in infinitum, dicimus esse infinita designabilia syncategorematice, id est, non tot quin plura in qualibet minima, et minori parte; non tamen possunt esse designata infinita in actu, et simpliciter, et sic neque infiniti actus designati fieri. Sicut ergo dantur finita instantia actu designata, sicut et finitæ partes, licet in potentia sint infinita designabilia divisive, sic etiam finiti actus dantur de facto in qualibet duratione finita, et similiter finita continuatio, tam instantium, quam partium, et actus per illam durationem continuatus finitam continuationem habet, et solum infinitam in potentia, et syncategorematice.

XLI. Unde in ista continuatione finita, et designata melior est non interruptio, seu perseverantia actus, quam interruptio, et multiplicatio intra eandem durationem (cæteris paribus loquendo, et cum eadem intentione, et aliis requisitis) eo quod tam interruptio, seu multiplicatio actuum, quam continuatio de facto, et in actu semper est designata, et determinata, et consequenter finita, et comparando finitam interruptionem cum finita continuatione, perfectior est continuatio, quam interruptio. Quod vero sit infinita, et designabilis in potentia nihil obstat, quia bonitas vel malitia in actu non regulatur penes id quod in potentia est, sed in actu. Si vero possent esse infiniti actus de facto designari, et categorematice in illa hora, tunc bene procederet argumentum, quod continuatio

etiam categorematica omnium illorum instantium, et actuum sic designatorum æquivaleret illi infinitati: sed illud præsuppositum non est verum, ut diximus.

XLII. Ex hac resolutione colligitur, quomodo idem dicendum sit de augmento intensionis per partes proportionales, et instantia inclusa in aliqua duratione finita, verbi gratia unius horæ, quia si quolibet instanti crescat intensio actus, et hora habet infinita instantia, illa intensio in fine horæ remanebit infinita. Non sequitur hoc, quia intensio illa non crescit determinate, et in actu nisi finite, nec instantia illa quæ designantur, et partes determinatæ sunt infinitæ, sed finitæ; solum vero continent infinita instantia, et partes syncategorematicæ, et in potentia, et hoc etiam ipsa intensio continet virtualiter, et in potentia. Unde per finitam durationem vincuntur infinita instantia, et partes in potentia, et per finitam intensionem infinitæ partes virtualis motus intensionis in potentia, et syncategorematicæ, actu enim infinita non sunt.

ARTICULUS III.

Quæ circumstantiæ necessario confitentæ sint in sacramento pœnitentiæ?

I. Præsupponenda est decisio Concilii Tridentini sess. XIV, cap. V, et canone VII, ubi loquens de confessione, et his quæ in confessione aperienda sunt, de circumstantiis peccatorum confitentis sic determinat: « Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre

exponantur, nec iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere. »

II. Ex quo textu dubitatio oritur de circumstantiis non mutantibus speciem, aut in aliud genus trahentibus, sed tantum aggravantibus, intra eandem speciem, an sint necessario aperiendæ in sacramentali confessione. Nam si attendamus determinationem Concilii solum de circumstantiis speciem mutantibus loquitur. Si vero rationem ejus ponderemus, videtur etiam ad aggravantes extendi. Determinatio enim Concilii expresse solum facit mentionem circumstantiarum, quæ speciem mutant, ut patet in prioribus verbis. Ratio vero quam reddit Concilium etiam aggravantes circumstantias complectitur, quia sine istarum notitia non potest censere iudex de gravitate criminum, neque pœnas pro delicto proportionatas imponere, aut debitam adhibere medicinam. Quomodo enim potest proportionatam pœnam imponere ei qui furatus est sex aureos, et ei qui furatus est sex millia, si uterque solum dicat se furatum esse quantitatem notabilem, et sufficientem ad peccatum mortale, transeatque quantitates furatas, cum tamen ille qui sex millia furatus est sine dubio audaciorem, et injustiorem, et perniciosiorem animum habeat, cum ad tantum proximo inferendum damnum proruperit, et sic longe efficaciori indigeat remedio, ac majori pœnitentia. Idem est de eo qui cognovit carnaliter consanguineam committendo incestum, et non vult explicare gradum consanguinitatis, sed solum dicit se commisisse incestum, et tamen si hoc commiserit cum sorore, vel matre, longe abominabilius peccatum sit, majorique pœnitentia plectendus ve-

niat, quam si cum consanguinea tertii, vel quarti gradus peccaverit.

III. Ut ergo certa ab incertis separemus in hac quæstione adeo necessaria pro conscientis fidelium, tria in hac parte sunt certa. Primum est, quod licet circumstantia non mutet speciem peccati ex parte objecti sumptam, si tamen mutat speciem reatus, scilicet de veniali in mortale, talis circumstantia quando mortale reddit peccatum, confitenda est, verbi gratia licet furtum parvæ quantitatis et magnæ sint ejusdem speciei ex parte objecti moralis et opposita eidem virtuti justitiæ, tamen sunt diversæ speciei theologicæ, quæ considerat aversionem a Deo fine ultimo vel non aversionem, reatum æternæ pœnæ vel temporalis. Et quia omnia peccata mortalia in confessione aperienda sunt, ideo si illa circumstantia quantitatis, aut quæcumque alia mutet peccatum veniale in mortale, oportet talem circumstantiam aperire, quia oportet omne mortale peccatum manifestare.

IV. Secundo certum est, quod quando circumstantia ita diminuit, quod mutat de mortali in veniale, talis circumstantia non est necessario confitenda, quia venialia non sunt de necessitate confitenda, ergo circumstantia faciens veniale per se non pertinet ad confessionem.

V. Tertio certum est, quod si in eodem actu conjungantur duæ malitiæ peccati mortalis, utraque debet explicari in confessione, licet non utraque constituat speciem essentialem actus moralis peccaminosi, sed altera solum accidentalem, verbi gratia si quis committat furtum in loco sacro, ex quo ille actus habet duplicatam malitiam furti et sacrilegii, utraque debet explicari in confessione, licet hæc secunda accidentalis sit respectu primæ. Ra-

tio est, quia omnia malitia mortalis, sive eodem, sive diverso actu committatur, confitenda est de necessitate, quia omnis malitia mortalis specialiter opponitur gratiæ, et debet remitti per sacramentum, quatenus subjicitur clavibus Ecclesiæ, ergo si illa malitia mortalis non subjicitur, non remittitur: ea autem non remissa, gratia non datur. Itaque ad confessionem per se pertinet quæcumque circumstantia mutans speciem, seu aliam speciem præbens, sive illa sit in eodem actu, sive in diverso; hoc enim non requirit Concilium quod sit in diverso actu, sufficit quod in eodem, quamvis ex hoc quod duplex malitia in eodem actu concurrat una earum necessario sit accidentalis comparative ad primam cui subordinatur. Sufficit ergo quamlibet malitiam esse mortalem, et de se sufficientem ad dandam speciem essentialem actui, quamvis per accidens non det nisi accidentalem, ex eo quod concurrat in eodem actu cum alia malitia priori, quæ hoc ipso, quod est prior, dat primam speciem, eamque essentialem.

VI. Reducitur ergo difficultas ad illas circumstantias, quæ nec mutant de veniali in mortale, nec diversam speciem etiam accidentalem præbent eidem actui, sed sunt pure aggravantes intra eandem speciem, ut in exemplo allato de circumstantia notabilis quantitatis furti ultra eam, quæ sufficit ad peccatum mortale, an tales circumstantiæ aggravantes sint necessario confitentæ. Et non est difficultas quando ista aggravatio fit per distinctos actus numero, ut si quis furatur mille aureos non unico furto, sed pluribus, quorum quodlibet sufficit ad peccatum mortale, talis enim tenetur illam pluralitatem actuum explicare, quia semper tenetur quis explicare numerum peccatorum,